

DE INFLAMMATIONE ET DE
FEBRIBUS IN GENERE.

Theses Patologicae
Quas Deo juvante et Præside D. D. Mi-
chaele Ysla Medicinæ Cathedræ
Moderatore Regio tueri co-
nabitur Joachim Cagiao,
Artium liberalium, ac
Juris Civilis
Baccalaureus.

Sanctafide.

IN REGAL. MAJ. PATRON. COLL.
 DEIPARÆ DE ROSARIO
 DIE MARTIS XVI JULIJ
 ANNO SALUTIS
 MDCCCV.

Pro actu publico anni III studij Medici.

M. H. A.



DE INFLAMMATIONE.

Eodem quo vivimus, crescimus, sani vigemus motu, eodem turbato læsa fatiscit sanitas, præcepsque ruinam sibi molitur corporis fabrica. Quanta inde oritur morborum Illas, quanta inde ingruit malorum series! Hinc imminuto et languente sanguinis circuitu, languent et contabescunt corporis functiones: aucto et nimium properante, inordinate concitatur æconomia animalis: per minutissimas vasculorum ambages, velocius impelluntur liquores: ibi mox hærent, stagnant: mora varias formas, prout hunc vel illum exitum meditantur naturæ vires, subituri. Inter morbos frequentius subit inflammatio.

INFLAMMATIONIS NATURA.

Sanguinis rubri arteriosi in minimis canalibus stagnantis præssio et attritus, à motu reliqui sanguinis moti, et per febrim fortius acti



inflammationis nomine insignitur á celeberrimo Boerhaavio (a). Obstructionem cum febre vel in toto vel in parte, hanc vocat clarissimus commentator Van-svieten (b).

INFLAMMATIONIS SEDES.

In propriis vasis stat sanguis, vel vi majori impulsus minimorum vasorum subit oscula; ergo inflammationis sedes in extremis arteriarum propaginibus, vel in lymphaticorum arteriosorum origine.

DIFFERENTIA.

Pro varia inflammationis natura, sede, extensione, inflammationis petenda diversitas; hinc quomodo in Phlegmonen vel Erysipelas abeat, et quaenam sit genuina ipsius à Phlegmone, Erysipelate, OEdemate, Scirrho aliisque tumoribus differentia facile liquet.

CAUSÆ.

Quacumque de causa premente arteriosum cruorem in minimis vasculis, et ab hac

(a) *Aphorism Boerhaav. 371 de cognosc. et curand. morb.*
(b) *Vide commentaria in aphorism. Ibid.*



plus æquo aucta, arteriarum actio inflammationis causa proxima statuitur. Hanc promouent plurimæ causæ remotæ, tum internæ ut nimium vasorum robur, Plethora, fluidorum inspissatio, aut prava diathesis &c, tum externæ ut acria ingesta, vel applicata, frigus acris, calor nimius, ligaturæ et compressiones, usiones aliæque quamplurimæ.

DIAGNOSIS.

Inflammationem indicat plurima symptomatum series, nempe tumor, dolor, calor, durities, renixûsque partis, quibus frequentius accidunt febris, sitis, capitis dolores, somnus turbulentus, vigilæ, debilitas. Quæ in internis sedibus locum obtinet, diversimodè pro variis partibus cognoscitur.

PROGNOSIS.

A parte affecta, morbi causa, velocitate et extensione, constitutione ægri, symptomatibus repetenda Prognosis.

EXITUS INFLAMMATIONIS.

Hinc varios inflammatio exitus agnoscit:



ut nunc extravasata in cellularem materia resorbeatur, partiumque tensio ac spasmus per blandam *resolutionem* disipetur, quo in casu reassumpta in sanguinem lymphæ per inflammationem adeo mutata, ut de pristina nutrientis principii natura vix amplius participet sub purulenti humoris imagine per urinas, aut per alvum, aut per sputa, aut denique per metastases, per sudores olentes, aut per exanthemata expellitur. Vel stagnans in celluloso vasorum inflammatorum ambitu coagulatus humor diuturno fœtu ac præparatione in *abscessum* mutatur. Vel concrescens cum cellulis lymphæ, duritiem in parte cum hujus insensibilitate, *scirrhi* rudimentum relinquit. Vel per vim inflammationis, sensibilitas partis atque irritabilitas, circulatio omnis, ac naturalis calor destruitur, nasciturque *sphacelus*, aut si quæ vita supersit *gangrena*. Vel in cavo quod inflammationem circumdat copiosum serum accumulatur promptissimè, oriturque *acutus vel et purulentus hydrops*.

MEDELA.

Inflammationis cura pro variè ejusdem natura, ac pro febris committantis diversitate, ac denique



pro causarum, subjecti, partis affectæ, ac temporis quo medela instituitur ratione valdoperè differt. Princeps quidem in curandis inflammationibus, *resolutionis* offertur scopus, partibusque multis vitam nisi hac sola, constantem non præparatur. Sed non quævis inflammatio, resolutionem aut admittit, aut indicat: vulnus contusum non recens, variolæ, furunculus, aut critica in externa depositio, hujus veritatis largiuntur exêmpla. *Resolutio* quidem peragitur, causarum remotarum ablegatione; spasmi, aut reactionis in parte inflammata nimix, moderamine; massæque fluidorum vel in toto, vel in speciali vasorum systemate abundantis imminutione.

Venæ sectiones, et præcipué, si instituantur in parte inflammata aut ægrotante commendantur. Certe felix erit eventus, si vena secta, sed felicior, si secatur arteria supra locum obstructum.

DE FEBRIBUS.

OB febriles æstus, natura humana toties victa flevit: nec tantis malis Medicina par fuit.



Febris magnæ familiæ morborum nomen est; nec ætati, sexui, temperamentoque ulli parcit.

Quid sit Febris definire, arduum est. Naturæ instrumentum dicere, quo á puris impura secernantur, affectionem vitæ mortem avertere conantis dicere, est effectum potius quam rem ipsam indicare.

SYMPTOMATA GENERALIA

In omni febre á causis internis ortâ horripilatio, pulsus velox, calor, vario febris tempore vario gradu adsunt. (m) Quæ quidem in omni febre adsunt; sed sola pulsus velocitas (n) adest ex his omni febris tempore, ab initio ad finem, eaque solâ Medicus præsentem febrim judicat.

CAUSA PROXIMA

Causa ergo velocitatis hujus proxima est pariter causa febris, sic cognitæ, proxîma. Igitur velocior cordis contractio (o)

Certissimum est, tam in animali quam

(m) *Aphorism Boerhaav. 563.*

(n) *Pergit idem Auct apb. 570*

(o) *Aphorism. 572. et 573. ejusd. Auct.*

in vegetabili corpore, esse quoddam ignotum principium, quod resectas partes restituat, fractas, separatas uniat, noxia abluat, involvat, separet, expellat. Hoc principium in fibra irritabili, sensibilibique cordis domicilium figens; in febribus efficacius stimulis erigitur, excitatur, in ipsam adeo perniciem accenditur, ac proinde velociore cordis contractiones excitat, spasmos ad capillaria producit. Quibus positis, ponitur febris, et ablatis tollitur.

CAUSÆ REMOTÆ.

Remotæ vero causæ desumendæ sunt, à putrido, mephiti, veneno, miasmate, contagio, maerore, timore, fortissimo quovis animi pathemate, alimenti necessarii defectu, et aliis à quibus principium dictum afficitur, deprimitur, suffocatur.

CURATIO.

Medela ex causis intime perspectis deducitur. De quibus nunc nobis non est disserendum.

FINIS.



